

§. 1. In Sclavonia autem et Comitatibus Bihariensi, Zólnok mediocri, Kraszna et Maramarosiensi, sicut praeteritis Annis, Dica in earum Partium defensionem convertatur: Dicatoribus per Cameram constitutis.

§. 2. Arcis vero Kaproncza pertinentiae; nec non omnes Nobiles, ac coloni et inquilini, qui post recuperatas ab hostibus Turcis Arces Petrinia et Sciscio, inter flumina Savi et Colapis resederunt et sedes suas fixerunt; instar aliorum Nobilium et colonorum, sine ulla difficultate et exceptione, contribuant in Sclavonia in medium Regnicolarum; juxta priorem illius Regni et consuetam Portarum connumerationem.

*Quomodo Sclavoniae insurgendum sit?*

#### A r t i c u l u s 12.

Sclavonia insurgat in sui defensionem; more ejus Regni consueto. \*)

*De non conscribendis, lustrandis et dimittendis in Ungaria et Sclavonia externis militibus: Sic etiam de condescensione et violentia militum, aliisque gravaminibus; proximorum Annorum Articulos observandos Regnicolae censem.*

#### A r t i c u l u s 26.

Porro, fideles Status et Ordines, nil magis inter caetera huic Regno salutarius fore existimant, quam si Articulus vigesimus octavus, Diaetae novissimae; de externis militibus, in hisce Regni reliquiis et in Sclavonia non conscribendis, lustrandis et dimittendis, juxta suae Serenitatis benignam Anno superiori factam oblationem et subsequutam superinde Suae Majestatis confirmationem; inviolabiliter observetur. Sic etiam Articuli de condescensione, vi, rapina et praedonio militum; et villas Dominorum, ac Nobilium militibus distribuentium, licentia, toutes sancti.

*De confiniis Sclavonicis in Sclavonia agendum: Serenissimumque Archi-Ducem Ferdinandum ex suis Provinciis, dictis confiniis, sic et Petriniae prospicere debere; Status demisse censem.*

#### A r t i c u l u s 31.

Articuli de statu Confiniorum Sclavonicorum propositi debebunt in Sclavonia proponi:

§. 1. Quia autem ex Ungaria subveniri illis non possit, Sclavonia quoque sit jam pene exhausta: Supplicant Status et Ordines, dignetur Sua Majestas, aut sua Serenitas, Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum requirere, ut sua Serenitas dictis confiniis ex suis Provinciis prospicere, et ne Petriniam etiam negligi permettere, dignetur.

\*) Confirmatur; An. 1659. art. 85. An. 1681. art. 66. Demum; An. 1741. art. 59.